

Platoni in polit. Deus quippiam humanus est. Callimacho ex Jove satus, Homero à Jove educatus. Qua de re rectè Livius *lib. 26.* *Regnum res inter Deos hominesque pulcherrima est.* Omnes fatemur in Isocratis Eragora dicitur. *Regnum inter divina humanaq; bonum maximum Augustissimum & summò studiò appetendum esse.* Nec Tacitus, taceat, ita inquit; *Pacis interest omnem potestatem adunum conferri.* Phryges partim aliorum partim suo exemplo facti prudentiores ferebant id consilii *Discordis opus est Rege.*

Thes. 18.

Haud igitur existimo quempiam nobis adeò invídum fore qui non vel sponte confiteri velit, quin Reip. salus sub unius voluntate felicissimè constet exclusâ Polyarchia omni, ob Pares in ea vel scandalo vel detrimento distractos. Id grani tamen immiscere salis observabis, non hæc à nobis absolutè & sine exceptione asseri defendique, verùm sicut in omni, Rep. ita in hac quoque ad subditorum genium haberi meritò respectum. Etenim quidam ad parendum uni proclives sunt, & tum Monarchia, quidam pluribus, iiq; denuo vel optimis vel præstantioribus, & tum Aristocratia, quidam paribus, & sic ultimò quoque nascitur Democratia. Et sicut Cappodoces hoc sibi persvasissimum habebant, nullam sub Sole sine Rege gentem vivere posse, ita Athenienses Domini vel Regis jugi ferre poterant necququam.

CAPITUL. II.

Thes. I.

TRansimus nunc, & quæ Monarchiam per aliquot paginas, quasi jactabundi crepuimus; nunc dari eandem in hoc universo adhuc & ubi, investigabimus. Prius assertum superius fuit effatò Danielis, cui tamdiu stamus donec